

10

8726

Q. D. B. V.

DE

**ATHEISMO
BENEDICTI
DE SPINOZA**

BENEVOLO AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORVM INDVLTV



ADVERSVS

V. CL.

IO. GEORGIVM WACHTERVUM,
DISSERENT

PRAESES

M. IACOBVS STAALKOPFF,
ET

RESPONDENS

HENRICVS EHLERS,

CADENBERGA - BREMENSIS.

D. *Septembr.* MDCCVII.

Heterod. 9.

GRTPHISWALDIAE,

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.

list. philos.
8356/2

Q. D. E. V.
DE

ATHEISMO

DE

DE SPINOZA

DE BACULO AMPLISSIMO ORDINIS PHILOSO-
PHICORVM INDICTVM

ADVERSVS

V. CL.

IO. GEORGIUM WACHTERVM
DISSERTANT

FRANCO-
FURTI

M. JACOBVS STAAJKOPFF

ET

RESPONDENS

HENRICVS HILERS

CABINETORVM BRUNSVICENSIS

DE BRUNSVICO

GRATIA

Typis DANIELIS BENJAMINI STARCKII
Reg. Acad. Typogr.



SVMMMARIA
EXERCITATIONIS

III.

§. 1.

Tertius Spinosae Patronus Io. GEOR-
GIVS WACHTERVS sistingitur, de cuius scriptis
minoribus,

§. 2. agitur. §. autem 3. & 4. Scripta eius-
dem maiora & controuersia quae ipsi cum Vene-
randa D. Buddeo intercesit, recensetur.

§. 5. Verba Spinosam excusantia adducun-
tur, quae ipsa tamen

§. 6. 7. 8. 9. 10. & 11. examinantur &

§. 12. Exercitationi finis imponitur.

EXERCITATIO III.
DE
ATHEISMO
BENEDICTI DE SPINOZA,
V. CL.

IO. GEORGIO WACHTERO,
OPPOSITA.

JESV FORTVNANTE !

I.



Ufficere equidem facile ea potuissent, quae in superioribus de impietate Spinozae disserui, nisi nouum Vir CL. Io. Georgius Wachterus sententiae meae Aduersarium sese exhibuisset. Qui ipse, cum & numero & pondere argumenta priorum Aduersariorum superantes attulerit rationes, parum aut nihil firmitati doctrinae meae consuluisse, uideri possem, nisi & ab exceptionibus Viri huius Docti eam uindicare, quantum imbecillitas mea patitur, omni conatu anniterer. Ne uero paradoxam sibi que soli propriam, Lectori obtrudere uideretur opinionem, ad integritatem celeberrimi historiae ecclesiasticae Scriptoris, Godofredi Arnoldi paria secum docentis prouocauit (a) adeoque idem, quod Arnoldus fecit, qui pariter ut sententiae fucum faceret, Praefatoris in Opera Spi-

ra Spinozae posthuma consensum adduxit. Quare discussis iam uti spero nebulis, quas haereticorum Ad-uocatus clarissimo ueritatis iubari offundere nullus dubitauit, nubes etiam quibus eam Wachterus obscurare allaborauit intuebor, uisurus annon & his diuina ueritatis lux sit praedominatura. Differam igitur I. de Autoris scriptis. II. sententiam de qua inter nos controuertitur, & exceptiones Aduersarii recensebo, quibus III. responsiones subiungam. Quae ut Numen Benignissimum bene uertat, est, quod ardentissimis ab eo efflagito precibus.

(a) p. 78. *Elucid. Cabbalist.*

II.

Genuit Wachterum Memminga, inter Sueviae urbes haud postrema, Tübinga uero literis ac disciplinis mentem eius imbuit. In qua sapientiae & uirtutis sede, elegantissimam etiam de dependentia Causae Secundae in Operando a Prima conscripsit exercitationem, & Praefide Jaegero Academiae illius Decore, publico submitit examini 1690. Belgium uisitans, Amstelodami 1699. de haeresi circa mensas amicam prout titulus habet in 8. edidit dissertationem, secunda iterum uice iuxta exemplar Amstelodamense, 1705. loco impressionis non addito, itidem in 8. recusam. In qua Autor se Irenicum testatus est, dum de controuersis inter Lutheranos & Reformatos quaestionibus agit, ostendens simul in quibusnam Pars una alteri aliquid largiri possit. Vniuersa commentatio IV. constat capitibus, quorum I. demonstrat uel demonstrare saltem conatur, nullum superesse diffidium inter Protestantes,

A 3

circa

circa realem praesentiam Corporis & Sanguinis Seruatoris nostri in S. Coena; sed unam omnes eandemque sententiam quamuis nescios, amplecti. II. probare allaborat, exactissimum inter eos dari consensum, de omnipraesentia CHRISTI qua humanam naturam, de persona & cultu eiusdem &c. ipsis tamen non animadvertentibus. III. in eo adstruendo totum est, Controversias de Gratia Vniuersali, iis de Particulari immerito opponi, cum componi inuicem debeant, & per se mutuo explicari. IV. denique antecedentia tanquam immotae ueritatis supponens, ad unionem & pacem hortatur. Profecto scriptum est, quod equidem de acri Autoris ingenio satis testari potest, ita tamen insimul comparatum, ut uaria citra rationem asserta in eodem legantur. Quorsum ea inter alia referenda esse crediderim, quae de Spiritu, non corpore CHRISTI in S. Coena praesente Cap. I. affert, & illuc trahit Oraaculum Ioanneum Cap. VI. com. 63. Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam, quod miris parenthesisibus illustrauit p. 13. &c. Sed de his prolixè exponere instituti ratio haud permittit, cum alii ex doctissimis ingenii foetibus, quos cum Erudito Orbe communicauit CL. Autor, recensendi supersint. Faciunt quippe huc inter alia, Origines Iuris Naturalis ordine geometrico demonstratae, ac Berolini 1704. in 4. editae, quae obscuritate ex methodo mathematica orta, lectorem fatigant.

III.

Commentationes has non adeo prolixas, sequantur iam Opuscula maiora ab ipso elaborata, cuius generis

neris

neris est Spinozismus im Judenthum/ oder die von dem heutigen Judenthum und dessen Geheimen Cabbala vergötterte Welt qui Amstelodami 1699. in forma 8. prodiit. Praefatio ipsum Wachterum Autorem non agnoscit; sed ab alio Anonymo conscripta est, in qua de occasione huius scripti, instituti ratione, & aliis huc spectantibus differitur. Illud uero in ea cum primis obseruare licet paradoxum, per Anti-Christum Magnum, filium illum perditionis, intelligi debere Synagogam Iudaicam. Liber ipse in tres diuisus est partes, quarum I. Spinozismum in Iudaismo ostendit, & controuersias inter Mosen Germanum, uel Io. Petrum Spechtium & Wachterum motas continet II. Spinozismum Iudaicum eleganter refellit, quemadmodum III. in confutandis ipsis Spinozae positionibus primariis, quibus totum Atheismi aedificium ceu fundamentis superstructum nititur, egregie uersatur. Praecipue uero id in toto hoc scripto ostendere allaborauit Auctor laudatissimus, Spinozam doctrinas suas Atheismum sapientes debere Cabbalae Iudaeorum. Aegre illud tulit Vir Celeberrimus Io. Fr. Buddeus, atque idcirco non uno in loco Wachterum putauit reprehendendum. Fecit enim id non solum in Obseru. XVI. Tom. I. Obseru. Hall. & in Dissert. de Spinozismo ante Spinozam §. 21. uerum etiam in Introduct. ad historiam Philosophiae Ebraeorum p. m. 320.

IV.

Wachterus causae suae non defuturus, anno 1706. edidit Elucidarium Cabbalisticum, Romae uti forsantitulus mentitur typis excusum in 8. pauca tamen me quidem

quidem iudice in eodem elucidauit Cabbalistarum myſteria. Si modo myſteria appellare licet, quae nugarum, quisquiliarum ac tenebrarum plusquam Cimmeriarum nomen potius merentur. Plura non addo, ad Wachterum reuerſurus, qui mafcule fatiſ conſenſum Spinozae cum Cabbala 19. argumentis aduerſus Excellentiffimum Diſſentientem Cap. IV. Elucidarii Cabbaliſtici euicit. Id tantum doleo, Virum CL. ea quae in tractatu germanico rectiffime de Atheo noſtro, & contra eundem monuerat, retractare haud eſſe ueritum. Candidae quidem & ingenuae mentis eſſe, errores ſuos corrigere, nemo eſt qui negat, neque ideo quiſquam niſi cum ratione inſanire uoluerit iis ſuccenſebit, qui perperam dicta corrigunt ac emendant. Ingens praeterea eorum ſeges eſt, qui id ſine detrimento exiſtimationis ſuae factiſſe leguntur, quos Vir Magnificus & Summe Venerandus Dn. D. Io. GEORGIVS NEVMANNVS, in peculiari Diſſertatione, quae in Primitiis eius quarto comparet loco diligentiffime pariter atque elegantiffime recensuit. Verum illud nulli cordato placere poteſt, quando ueritates certiffimae non ſolum in dubium uocantur, uerum etiam tanquam errores corriguntur: quale quid CL. Wachterum feciſſe, dum Spinozam ipſe antea Atheiſmi accuſauit, poſtea uero impietatem hanc amoliri ab eodem mirum quantum laborauit, nemo non uidet.

V.

Enimuero audiendae nunc erunt rationes, quare ueritatem ſemel agnitam & publice propositam retractarit Vir eruditus. Propria igitur ipſius uerba
ſum

sum allaturus, ne de illata sibi iniuria causam habeat conquerendi. Ita autem ille: *Quod lectores Spinozae, DEVM & naturam confundant, concedo; Sed quod Spinoza ipse huius confusionis autor & praeceptor sit, ex quibus scriptis habemus? Nonne distinctionem inter naturam naturantem & naturam naturatam diserte agnoscit & defendit? (a) Nonne oppugnat eos, qui naturam DEI ad essentiam rerum creatarum spectare dicunt? (b) Nonne aperte negat, tractatum suum Theologico-Politicum eo fundamento niti, quod DEVS & natura unum idemque sint; & nonne hoc arbitrantes tota ait errare uia? (c) Neque suspicari debemus illum in re seria iocari. Nam praeterquam nulla mentem celandi causa in republica libera occurebat, hoc praeterea perpendere debemus, quod tota huius Viri Philosophia reuera nitatur fundamento plane alieno, eo scilicet quod DEVS & natura nequaquam unum idemque sint, sed ut causa & effectus distinguantur. Enimvero si natura rerum est ipse aeternus & increabilis DEVS, sponte sequitur, DEVM esse corporeum, quod tamen iuxta Spinozam (d) est absurdissimum figmentum, & longe a uera DEI cognitione aberrans. Si DEVS & natura idem sunt, idem quoque esset intellectus DEO internus, & humanus neque solo nomine ut Spinozae (e) uidetur sed ipse re conuenirent. Sequeretur porro omnes uolitiones nostras particulares, esse DEI in nobis uolentis affectus, non effectus. Quod ipsum a Spinoza rotunde negatur (f). In quae omnia non uana contendendi libidine sed solius ueritatis amore ductus, ea qua par est modestia paucis sum inquisiturus.*

(a) *Eth. P. I. Schol. Prop. 19.* (b) *Ibid. P. II. Sch. Prop. 10.*

(c) *Ep. 21.* (d) *Eth. P. I. Sch. Prop. 15.* (e) *Ibid. Schol. Prop. 17.* (f) *Ibid. Coroll. II. Prop. 32.*

VI.

Lectores itaque Spinozae, Vir CL. Athei huius

B

DEVM

DEVM cum natura confundentis, impietatem quidem ostendunt, minime uero quod Tu contendis confusione huic patrocinantur, quam potius in Benedicto erroris arguunt, reprehendunt, & abominantur. Sed regeris Vir Eruditissime: Spinozam distinctionem inter naturam naturantem & naturatam agnoscere. Enimuero, nisi sibi ipsi contradicere, & hypothefibus suis in congrue philosophari uelit homo profanus, distinctionem non rei; sed rationis, quae diuerso saltem nititur concipiendi modo, intelligere potest, adeo ut natura naturans ipsi sit una illa infinita substantia, uariis & infinitis attributis praedita, unoquoque eorum (attributorum) eius essentiam exprimente; per naturam uero naturatam, attributa ipsa essentiam infinitae substantiae exprimentia intelligat. Quando igitur DEVM, uel naturam naturantem ex mente hominis impii concipio, huius nomine mihi praeter unam illam infinitam substantiam nihil uenire potest; ex aduerso autem naturatam consideraturo naturam, omnia illa attributa seorsim cogitanda erunt, & ab infinita substantia non realiter; sed per fictionem saltem mentis separanda. Quam explicationem Spinozae principiis exactissime congruere, quilibet fateri debet qui paulo diligentius ea quae in I. & II. Exercit. monita sunt ponderauerit.

VII.

Neque impietatem ab eo amoliri potest, illa quam Vir Doctus denuo affert exceptio, negare scilicet Spinozam, naturam DEI ad essentiam rerum creatarum spectare. Qui enim haec consistere possint, cum asserto DEVM causam mundi immanentem esse, me nescire
ingenue

ingenue fateor. Ex eo quippe immediata consequentia sequitur, DEI essentiam ad essentiam mundi pertinere. Quare uero homines Athei modo sic, modo aliter, modo male, modo bene loquantur exposui Exercit. II. §. 3. Quod Spinozae etiam usitatum fuisse ibidem probaui. Poenas nimirum extimescebat, & de seruanda opinione, quam de eo conceperant Viri docti pariter ac Boni, admodum erat sollicitus. Ideo quoque aperte negauit (quod iterum Vir CL. obuertit) tractatum suum theologico-politicum, eo fundamento niti, quod DEVS & natura unum idemque sint. Stultissimus enim mortalium omnium fuisset, si ipse ultro confessus fuisset, librum suum Atheismo fauere, cuius eum a quibusdam penes Magistratum postulatum esse Epist. 19. ad Oldenburgium scribit. Perpendat quaeso Vir doctus: si aliquis Atheismi argueretur, & in hoc negotio de ueritate rei interrogaretur, utrum ille, adeo ab omni ratione alienus futurus sit, ut rem confiteretur, & utrum iudices si firma alioquin adsint testimonia, propter negationem suam eum statim absoluturi sint? Ego puto, illos testimonium hoc, de propria persona certo certius esse reiecturos. Iam uero, cum Spinoza in causa Atheismi ad Magistratum delatus fuerit, ille sane adeo insipiens esse non poterat, ut assereret scriptum suum in confundendo DEO cum mundo esse totum. An igitur testimonium eius de propria persona praeiudicare poterit certissimis rerum argumentis? An ergo optima de se testanti Spinozae, statim fides habenda? An omnia indicia contrarium ostendentia eleuanda? Minime! Quare collectio haec:

B 2

Si

Si Spinoza seipsum Atheum non uocauit, uel Atheismum suum confessus non est, sequitur quod nec Atheus fuerit, neminem facile reperiet assentientem, nisi talem qui omnia promiscue sine discrimine & diiudicatione, uerane an falsa sint, amplectatur. Ceterum conferri hic suadeo B. Kortholtum (a) alio modo nodum hunc elegantissime soluentem.

(a) l. saepius cit. p. m. 93.

VIII.

Quapropter omnino suspicari possumus, Spinozam in re seria commodi sui causa esse iocatum, mentemque celasse suam, quod faciendum esse negat Cl. Wachterus. In Virum Bonum equidem non cadit suspicio; ast Spinozam talem fuisse nego, cum quilibet tam diu saltem praesumatur bonus, donec probetur malus. Quod cum de Spinoza abunde constet, aequis suspicionibus hic aliquantisper locum dare licet, quia prudens diffidentia quae peculiaris uirtus est, id efflagitat. Cur autem mentem celarit de eo aliquoties & in superiori etiam actum est §. Licet enim in libera uixerit Republica, facile nihilominus sibi persuadere poterat, libertate illa abuti non licere, atque Proceres Belgii fauces tenentes, se minime toleraturos, nisi profana sua dogmata aliquantulum pingeret, tegeter atque uelaret. Totam uero Spinozae Philosophiam, distinctione DEI & naturae tanquam causae & effectus, ueluti fundamento niti, uti existimat Vir CL. si sano sensu accipiantur haec, tantum abest ut credam, ut potius contrarium in praecedentibus pagellis demonstrandum mihi sumserim. Ceterum, uti rationis discrimen inter cau-

sam

fam immanentem & eius effectum dari posse non ab-
nuo, ita etiam tale Spinozam (si constanter & hypothe-
sibus suis conuenienter loqui & sentire uoluit) intel-
ligere debuisse, arbitror. Egregium autem funda-
mentum Spinozismi! Discrimen nempe inter DEVM
& mundum non reale; sed rationis, cui totum ruino-
sae Philosophiae palatium inaedificatum est. Denuo
urget Vir Doctus: si DEVS esset natura rerum, exinde
secuturum eundem fore corporeum, quod tamen iuxta
Spinozam sit absurdissimum figmentum, & longe a
uera DEI cognitione aberrans. Ita est Vir CL. neque
hoc a mente Spinosae alienum, utpote qui in spiritua-
litate DEI, extensionem essentiae Numinis tribuendo,
admodum iniurius fuit teste §. 17. Exercit. I. Pudeat
ergo profanum illum absurdissimorum figmentorum
Defensorem, qui eo ipso longe a uera DEI cognitione
aberrauit.

IX.

Pergit CL. Dissentiens colligendo, ex eo etiam fluere
intellectum diuinum & humanum esse unum idemque,
quos nomine saltem conuenire doceat Spinoza; sed re-
spondeo, concedendo illud. Ea quippe, quae uesanus hic
homo P. II. Ethices Prop. I. in Demonstrat. ibid. Prop. XI.
in Coroll. & Epist. XV. affert faciunt, ut hoc largiri de-
beam. Primo enim loco cogitationem attributum DEI
statuit, & ad illam referendos esse omnes particulares
cogitandi modos, i. e. omnes particulares, uel si mauis
singulares cogitationes contendit. Secundo mentem
humanam, partem esse infiniti intellectus DEI, eumq̄
mentis humanae essentiam constituere asserit, quae
omnia in loco ultimo repetit. Si igitur cum dicimus,

B 3

mentem

mentem humanam hoc uel illud percipere, nihil aliud iudice Spinoza affirmamus, quam DEVM ipsum habere hanc uel illam ideam, hoc uel illud percipere: si intellectus humanus est pars intellectus diuini & intellectus diuinus constituit, ingreditur essentiam, paucis, est causa immanens intellectus humani, quid obstat? quominus intellectus diuinus, & humanus secundum Atheum nostrum sint unum idemque. Re ipsa igitur, non solo nomine quod uult Spinoza conueniunt. Mensa certe lignea, & pes ligneus pars mensae, etsi nomine differant, quoad rem tamen, lignum nempe exactissime conueniunt; ita etiam, quamuis intellectus diuini & humani diuersa sint uocabula, nihilominus quia humanus pars est diuini, realiter a se inuicem non differunt. Quod si ergo cogitationes particulares, per ipsa antea a Spinoza dicta, pertinent ad attributum DEI, & mens humana intellectu & uoluntate constans, pars est intellectus Diuini, cur non uolitiones particulares hominum spectarent ad essentiam DEI, essentque ex mente Athei uolitiones ipsius DEI. Quod quidem ita se habere rotunde negat Proteus hic; sed quo iure ignoro? Cum enim humana mens fatente ipso, sit pars infiniti intellectus DEI, uoluntas uero pars mentis iterum sit, qua ratione uoluntatem ad naturam DEI spectare, negare possit Atheus non uideo.

X.

Iam ultimum adhuc restat argumentum, quo Spinozae patrocinari uoluit Vir CL. Prouocat nimirum ad sapientiam, & prudentiam Serenissimi Electoris Palatini, gloriosissimae memoriae, Caroli Ludouici, Principis

cipis

cipis literatissimi, contendens huic Spinozam adeo fuisse commendatum, ut eum indulta philosophandi libertate amplissima, & propositis praemiis, Heidelbergam inuitauerit. Quibus subiungit: At quis credat uoluisse tantum Principem, cuius sapientiam omnes admirabantur, aliquem docendo publice Atheismo praeficere. Faceſſat ergo hinc ueteratoria illa Atheismi criminatio, qua nihil falsius, nihil infulsius potest deblaterari (a). Sed bona uerba quaeso! non opus erat Vir CL. iusto uehementiori illa declamatione, cum nec haec firma satis sit ratio. Concedo enim, a Io. Ludouico Fabritio, mandante ita Electore oblatam ipsi esse Philosophiam in eo quod Heidelbergae floret: sapientiae Sacratio, docendi spartam, permissam etiam philosophandi libertatem, uerum talem, quae Sacros Scripturae & Theologiae circulos non turbaret. Confer Epist. LIII. Quo posito unusquisque uidet, Virum Eru- ditissimum & hoc argumento nihil contra ueritatem proficere.

(a) p. 77. *Elucidarii Cabbalist.*

XI.

Profecto, si tum temporis ita Atheismus Spinozae quemadmodum nunc patuisset, nunquam certe Princeps laudatissimus, amplissimam hanc spartam ipsi obtulisset. Quanquam uero simile admodum uideatur, iam iis quoque temporibus, ex incerto forsan rumore Electori quaedam de monstrosis Spinosaе sententiis innotuisse, quo adeo effectum ut ille de coercendis certis quibusdam limitibus libertate philosophandi cogitauerit, quos noster tanquam absolutus in regno Philo-

loso-

losophico Dominus respuit uid. Epist. LIV. Quo ipso tamen salutis suae optime consuluit. Facile enim hic, quod Parisiis euitavit, incurrere potuisset periculum si virus suum paulo liberius sparsisset. Arnoldus quippe, ex Benthemio refert, Parisienses eum in carcerem cui nomen Bastille conuicere uoluisse, nisi ille fuga destinata eorum elusisset.

XII.

Haec sunt Vir CL. quae ego Tecum hoc de argumento communicare uolui. Neque tamen haud adeo aegre TE dissensum meum esse laturum, sperare me finit, ea qua abunde polles humanitas. Displicere enim & Tibi illud imperium, ui cuius alter alteri dictatoria uelut autoritate, sententias suas imperare conetur, ex praefatione Elucidatorii Cabbalistici intelligere mihi licuit. Quam ob rem & mihi, amice, & absque ulla styli acrimonia quaedam in eruditissimo scripto Tuo desideranti, ueniam denegare eo minus poteris. Vale in Domino, cui pro concessis viribus deuotissimas persoluo gratias.

Ad Nobilissimum & Clarissimum Dominum,

RESPONDENTEM SVVM,

SS. Theologiae & Philosophiae Consecraneum felicissimum,

PRAESES.

Dum iam in eo totus uersaris Amice Desideratissime, ut illam quam haecenus improbo Tibi acquisuisti labore eximiam rerum scitu dignissimarum notitiam, coram publica Eruditorum concione testatam facias, non possum non faustum atque felicem huius res successum ex intimis cordis penetrabilibus Tibi apprecari. Quae uota uel ideo certo certius Benignissimum Numen clementer exaudire haud dedignabitur, quoniam Tuus ille quem moliris labor pietati unice originem debet suam. Minuum quippe ac cerussam quibus pestilentissimum impietatis Spinosisticae uenenum **WACHERVS** Vir eruditionis laude longe florentissimus pingere frustra allaborauit, tanquam uanos malae causae colores damnare ac reicere nullius dubitas. Quam ob rem non possum non laudabili instituto Tuo applaudere, Deumque repetitis inuocare precibus, ut uirtuti Tuae illud quod abunde mereris praemium benignissime impertatur Vale.

☉:(○):(☉)